241.

RECTOR UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

Justa funebria,

DOMINO

JOH. JOACHIMO ROTHIO,

POTENTISSIMI REGIS POLONIÆ ET ELECTORIS SAXONIÆ IN CIRCULO ET IN URBE LIPSIENSI PRÆFECTO OPTIME MERITO,

Hora I. hodie d. XI. Febr. MDCCIV.

exsolvenda,

Civibus suis indicit.

VEntum illum, qui per totam ferme Europam An. Chr. MDCLX. circa IX. Decembr. à plaga inter Occidentem & Meridiem media inſolito modo ſpirans, multa damna quamplurimis locis intulit, prodigioſum haud immerito nominavit Chriſtophorus Nottnagelius, Mathematum Profeſſor publicus Witebergæ, in Diſputatione Phyſico Mathematica inſequente anno habita. Etſi enim cauſas ejus naturales ſollicite tradidit, ex aſtrorum, qui tunc erat, poſitu deductas, cum tamen naturæ limites adeo exceſſerit, calamitates publicas annnunciare collegit, quas vero determinare ſupra humanas vires eſſe cenſuit. Quare ex ejus ſententia mala omnia, quæ homines ſubſequentibus annis afflixiſſe in Annalibus leguntur, ventus inſolens indicaverit. Non minor erat impetus venti, qui antegreſſi anni die VIII. Decembris, ex eadem mundi regione irruens omnem pene Europam perflavit, tecta ædificiorum laceravit, turres dejecit, ex quarum lapſu paſſim templa conciderunt; ædes evertens homines oppreſſit, quosdam in altum abripuit, & projectos corporibus obviis impegit, aggeres aquarum perrupit, naves fregit & merſit; & quis damna reliqua omnia, quæ apportavit, enumeret. Licet autem Cæli aſpectum non abſimilem forte aſtrologus nobis exhibuerit, nihilominus prodigioſum quoque ventum iſtum dicimus, calamitatum publicarum prænuncium. Quæ tamen cum variæ admodum ſint, hoſtium irruptiones, ſeditiones, peſtis, fames, incendia, inundationes, Principum ac magnorum virorum mortes, imperiorum mutationes, aliæque quis hominum vates erit? Noſtrum eſt, quos ventus impetuoſus, nocte inter 31. Januarii & 1. Februarii media recurrens iterum monuit, iratum DEUM pœnitentia ſeria nobis reconciliare, eundemque Patrem miſericordiarum rogare, ut mala, quæ noſtris capitibus impendere cernimus, avertat. Quæ de vento meditantibus occurrit Seneca, ubi lib. V. Naturalium Quæſtionum, de ventorum origine, varietate & utilitate agit, Cæſarem cum vento comparans his verbis cap. XVIII. Ingens naturæ beneficium, (ventus) ſi illud in injuriam ſuam non vertat hominum furor. Nunc, quod de Cæſare olim majore vulgo dictatum eſt, & à Tito Livio poſitum, in incerto eſſe, utrum illum magis naſci reip. profuerit, an non naſci; dici etiam de ventis poteſt: adeo quicquid ex illis utile & neceſſarium eſt, non poteſt his repenſari, quæ in perniciem ſuam generis humani dementia excogitat. Sed non ideo non ſunt iſta natura ſua bona, ſi vitio male utentium nocent. Invehitur nimirum Sapiens in eos, qui ventis utuntur ad trajiciendum navibus exercitum, imperii proferendi cupiditate excitati. Haut pauci homines ſunt, de quibus dicendum, in certo eſſe, ipſos non fungi officiis humanæ ſocietati melius fuiſſe, quam fungi. Etenim uti exhalationes ex aqua terrave, ex quibus ventus oritur, calore ſolis evehuntur, illi humili loco nati, ſed naturæ bonis inſtructi, Patronorum favore extolluntur, atque in officiis conſpicuis collocantur. Verum quemadmodum ea terraquei globi effluvia, cum magna copia collecta in aëre ſe diffundunt, inter nubium, montium aliorumque corporum circumpoſitorum anguſtias, inſtar aquarum aggeribus coercitarum, impetum nanciſcuntur majorem, ruunt, flatumque late patentem efficiunt, quo obvia agitant, evertunt, aliquando incendunt: ita Viri illi animo impetuoſo in ſubjectos feruntur, ad iram, diſcordiam, litesque, ubi poſſunt, impellunt ac incendunt, ut ex fortunis eorum everſis, quaſi ex naufragio, lucrentur. Hos turbini, procellæ, preſteri ſimiles dixerimus. Verum, utut ejusmodi ventos homines optent nunquam flare, in quorum pœnam aliquando exoriuntur, attamen divina providentia ventos ordinarios non una ex cauſa fieri à naturalibus agentibus voluit, & per diverſa diſpoſuit. Primum aërem non ſinunt pigreſcere, ſed aſſidua vexatione utilem & ſalubrem reddunt reſpirationi animalium. Deinde imbres terris ſubminiſtrant-

ſtrant, iidemque nimios compeſcunt, nubes adducendo & diducendo, ut per totum orbem pluviæ dividi poſſint. Segetem excitant, latentem frugem, ruptis velamentis ſuis, quæ folliculos agricolæ vocant, adaperiunt, flatu ſupervacua admixta ſervandis ventilant: arbores agitant, ut radices firmentur, exque iis ſuccus uberius adſcendat & diſtribuatur. Omnibus inter ſe populis commercium dant & commoda cujusque regionis faciunt communia; & quæ aliæ plures ſunt magnæque utilitates. Viri pii, juſti, prudentes, ad dignitates & munera in Republ. evecti, ſubditos placide leniterque regunt, juſtitiam omnibus ex æquo adminiſtrant, controverſias ſubdole non alunt, ſed, quanta poſſunt, æquitate & brevitate dijudicant, ut ſuas quilibet retineant & augeant facultates: res à Principe commiſſas ſtudioſe fideliterque expediunt, cum aliis communitatibus concordiæ vinculum religioſe ſervantes, Reipublicæ univerſæ commoda promovent. De quibus viris omnes concorditer dicunt, bene fuiſſe eos Reipublicæ munera geſſiſſe. Idem de Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimoque viro, Dn. Johanne Joachimo Rothio, Sereniſſ. Regis Poloniæ & Electoris Saxoniæ, in circulo Lipſienſi & in urbe Præfecto dici certum eſt: cui noſtra quoque narratio adſtipulabitur, juxta rationem veterem, patriam ejus, parentes, honeſtiſſimeque vitam actam, & beatam mortem expoſitura. Natus igitur Strasbergæ prope Plaviam honeſto loco eſt An. MDCXLVI. d. XXIII. Auguſti, Patre Dn. Jobſtio Rothio, Generoſi Reinboldi Adminiſtratore Nauendorfii, matre Maria Winckleria, integerrimæ famæ fœmina, nata Regis ad Altenburgum. Ab his privatim & domi pietatis rudimenta ad XI. uſque annum hauſit, poſtea in Scholam Plavienſem traditus, non ſolum in ea, ſed & ab hoſpite ſuo, cujus inquilinus & commenſalis fuit, M. Fridericô Dörffelio Diacono literis bonis ſeorſim imbutus eſt. Eas, quia pro ingenii docilitate & propenſione in ſtudia celeriter arripiebat, a parentibus ipſis deſtinatus eſt, non facultatibus ſuis, ſed divinæ providentiæ confiſis. Itaque Halam Saxonum An. LXIII. miſſus, in Gymnaſio a Valentino Bergero, & M. Martino Lippenio in ſermonis Latini cognitione, & cæteris artibus, quibus parari animi ad majorem cultum ſolent, ſatis inſtructus eſt, ut Anno MDCLXVI. Academica ſtudia cum fructu inchoare poſſet. Jam applicans animum ad Jurisprudentiam Lectiones publicas Profeſſorum, & privatas D. Romani Telleri, & D. Zachariæ Crameri Prof. Publ. frequentavit: præcipue ſemper æſtimavit aditum, quem ſibi ſtatim Dn. D. Georgius Wilhelmus Kühlewein, Curæ provincialis ſupremæ Advocatus Ordinarius, & Juridicæ Facultatis Aſſeſſor dedit: quo obtinuit, ut amanuenſis partes ad Annum MDCLXIX. ſibi demandatas gereret, atque in hac opera ſimul, atque fideli inſtitutione ejus in Theoria & Praxi multa addiſceret. Hinc occaſionem nactus in Judiciis agendi, ubi ejus non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam obſervaſſet Dn. Johannes Jacobus Pantzer, Præfectus eo tempore Circuli, ipſi bene cupere cœpit, ad res expediundas ad ſe recepit, ac Anno MDCLXXI. Actuarium Præfecturæ conſtituit. Quo officio ita occupabatur, ut nihilominus in Collegiis privatis Juridicis Dn. D. Bartholomæi Leonhardi Schvvendendörfferi, & Dn. D. Auguſti Benedicti Carpzovii, Anteceſſorum noſtrorum meritiſſimorum auditor aſſiduus eſſet, inſuper ſub poſterioris præſidio An. MDCLXXIII. diſputaret. In quo actu, quod eximiam Juris ſcientiam luculenter probaſſet, eodem anno defuncto Pantzero rerum Præfecturæ jam bene gnarus ſucceſſit, idque munus ſimul ac res Steuræ ultra triginta annos gnaviter ac fideliter adminiſtravit. Tantis negotiis diſtrictus rei domeſticæ curam ſolus habere non poterat. Sociam ergo mox aſſumit Virginem Sibyllam Magdalenam, Dn. Jacobi Rüdigeri, Rochlizenſis Præfecti Electoralis Saxonici, filiam natu poſtremam; ex qua conjuge ſua ſuſcepit liberos quatuor, Dn. Johannem Fridericum, Sereniſſ. Regis Poloniæ & Electoris Saxoniæ Procuratorem Steuræ, & Steurarum ex potulentis Receptorem, Suſannam Eliſabetham, Dn. Danielis Petermanni, Electoralis & Ducalis Conſiſtorii in

hac

hac urbe Protonotarii nunc Conjugem, Mariam Sophiam, & Hedvvigen Elisabetham, Dn. M. Joh. Jacobi Crameri, Pastoris ad S. Johannis uxorem jam viduam. Ex prima filia nepotes neptesve septem, Joachimum Gottlob, Augustum Gottlob, Susannam Eleonoram, Susannam Charitatem, Johannam Eleonoram, Sophiam Elisabetham, & Susannam Magdalenam, ex tertia quinque, Mariam Elisabetham, Johannem Jacobum, Johannem Henricum, Johannem Joachimum, & Johannem Georgium Avus vidit. Media Filia tenera vivere desiit. Priorem illam svavissimam conjugem annus MDCLXXVIII. abstulit; ex cujus obitu mœrorem magnum & diuturnum tandem extinxit An. MDCLXXX. Virgo nobilissima Johanna Charitas, Dn. D. Abrahami Birnbaumii, Consiliarii & Archiatri Electoralis Saxonici filia postrema, die XX. Januarii in torum recepta. Hæc enim domum diligenter & fideliter administravit, liberos ex priori conjugio teneros multa sollicitudine educavit, marito aliquando diu ægrotanti suppetias, quas poterat, tulit; liberosque dedit decem, duos masculos, & octo fæmellas, Dominam Joh. Sophiam, Dn. Thomæ Wagnero, in Præfectura tunc temporis Adjuncto, nunc Successori nuperrime nuptam, Johannam Charitatem, Johannam Christianam, Johannam Susannam, Dn. Johannem Abrahamum, Jurium Studiosum, Johannam Dorotheam, Dn. Johannem Joachimum, Johannam Magdalenam, Johannam Eleonoram, Johannam Charitatem. Ex quo numero præter duas filias puellas mortuas, reliqui liberi superstites, cum matre vidua mœstissima, exequias Patri desideratissimo tristissimi eunt. Non commemorabimus hic viri pietatem in ecclesiasticis congregationibus palam conspicuam, & intra domesticos parietes quotidie continuatam; non curam, quam de Liberorum bona educatione semper habuit; non labores, non fidem, non dexteritatem, non justitiam, non æquitatem, non integritatem in munere ita gesto, ut Serenissimis Electoribus, Dominis Joh. Georgio II. III. IV. & Potentissimo Regi Poloniæ & Electori Saxoniæ, Dn. Friderico Augusto, quæ magna laus est, placuerit. In qua sua prosperitate animo non efferebatur, sed modesto semper erat. Inscripto, quod consignatum ipse reliquit, professus est, se à DEO omnipotente quasi ex pulvere exaltatum, & in dignitate repositum esse, ut proximo suo prodesset. Non pauci sunt, qui candorem ejus, consilia sibi suppeditata, beneficentiam laudant, quodqve istis in posterum sibi carendum sit, acerbius dolent. Lapsus suos, quibus homines omnes sumus obnoxii, non insuper habuit, sed, ut DEUS ignosceret sibi, petiit. Die XX. Januarii nuperi catharrus suffocativus valde infirmum, & debilem capite fecit. Ac quamvis exquisitissimæ Medicorum opes obtinerent, ut mox ad diem XXVIII. melius haberet, attamen ejusdem diei hora IX. nocturna morbus cum vehementia recidivus vires exiguas reliquas prosternens, & somnolentia, loquelæ difficultas, aliaqve similia symptomata, quæ subsequebantur, extremà instare indicarunt. Hinc ægrotus salutari viatico devotam Servatori suo animam instrui curavit, eidemqve plenam fidei & spei Christianæ reddidit, postquam LVIII. annos, V. menses, I. hebdomadam, VI. dies inter mortales fuisset. His expositis concludimus, in certo manere, melius esse Reipublicæ, Rothium Præfectum fuisse, quam non fuisse. Huic, cum ad Horam I. postea justa funebria, Christiano more, exsolvenda sint, vos, Cives Academici, hortamur, ut ea frequentes velitis prosequi, & viro optimo supremum honorem cumulate præstare. Quod facere laudi majori vobis erit, quoniam eo officio familiam amplissimam in mœrore jacentem simul & erigetis, & honorabitis. P. P. d. XI. Februarii, Anno Christiano MDCCIV.

LIPSIÆ, Literis Christiani Scholvini.

3709